…sius

…oriae

D. Ch. F. C. L. Faustum omen Patriae gratulantis Illmo Janussio de Sokolsko Tyszkiewicio.



FAVSTVM

OMEN

PATRIÆ GRATVLANTIS

ILLVSTRISSIMO

IANVSSIO DE LOHOISKO

TISKIEVICIO

PALATINO GEN[illegible]I KIIOVIÆ,

Zitomirień. &c. &c.

Capitaneo.



LVBLINI, Typis Pauli Conradi, A. D. 1631.

In Arma antiquiſsimæ TYSKIEVICIANÆ *Proſapiæ.*



QVid tibi magna Domus Phario cum Sidere? Quid cum
Nocturna ſidus diſſociante face?
Nec Cæli cælos pariunt, nec ſidera ſidus
Tu ſemper Patriæ Lumina ſumma paris
Quid mirum? Omnipotens omni cum ſidere Lunam
Diſpulit in vacuos, & ſine prole thoros
Marte tuo, merito Patriæ de munere. natum eſt
Luna ſuo prægnans ſidere, Stemma tibi.

EPISTOLA DEDICATORIA.

MAgnos magna decent, Magnus es Illu^me^ TYSKIEVICZ quinimo omni magno maior, cuius Magnanimitas magnæq; Heroicæ virtutes, magnum petunt Olympum, nec leui mensurant calamo, nisi Homericos aut Liuianos manes prouocare, illorumq; genio vti liceat; at sæpè fit vt magni paruis oblectentur, nec semper Aquilla Phasianos quærat, turdis sæpius aut columbis contenta; Non paruum sed exiguum tibi Magno Senatori Xenium offertur, magno tamen profectum animo & affectu, quod si tuis celsissimis honoribus ac dignitatibus impar, pro vt certo est, æqui bonique consule, & affectum offerentis lauda, diu interim fæliciterque vale tuorum non immemor.

Illustrissimæ Celsitudinis tuæ

Addictissimus seruus.

D. CH. F. C. L.

TAndem aliquando Centocullus ille Deitatis Triumuiratus Diuino ſuo pelluſtrauit ocello, florentiſſimas quondam, at nunc labentes & variis calamitatum procellis obrutas ac naufragantes, Sarmaticas oras; Tandem aliquando numeroſa ac ponderoſa Sanctorum Patronorum Tutellarium ope & interceſſione propitiari ac remediari afflictæ Reipub: Polonæ, eiusq; incolis, per media ſalutifera, omniumq; votis ac ſuſpiriis deſideratiſſima propoſuit; Illuxit ſol rutilans, ſuisq; rutilantibus radiis tenebroſas caligines diſrupit, vt non ſit difficile vnicuiq; iuſtum ab iniuſto, æquum ab iniquo, honeſtum ab inhoneſto, ſalubre ab inſalubri, probum ab improbo, clarum ab obſcuro, diſcernere; Illuxit ſol fælici diademate IANVSSII TISKIEVICII corruſcans, iuſtitia, pietate erga Patriam, magnanimitate, prudentia, dexteritate, probitate, fortitudine, candore, liberalitate, tanquam rutilanti-

bus ac candidissimis stellis adornatus; fulgent tecta Patria, gaudentur Russiadum Prouinciæ, gratulantur Pokutienses campi, florent deserta prata, totum acclamat Regnum Magnanimo expugnatori, Fælici triumphatori, prudentissimo Senatori; Quid enim sperare debuit quod non potuit, orbatum illis non minus Fortissimis quàm sapientissimis piæ memoriæ Tarnouiis, Zamosciis, Chodkieuiciis, Chmieleciis; quorum animi tanquam Delphica oracula, pectora tanquam murus ahenneus, manus tanquam scutum ferreum vndiquaque consilio dexteritate, armis, vniuersam Rempub: Regem, Incolas, ab omnibus hostium impetibus vindicabant? nisi fausto omine refugium fecisset ad consimilem prædictarum virtutum plantatorem, veram arborum concisarum propaginem IANVSSIVM TISKIEVICIVM, *hæreditarium fortissimorum ac bellicosissimorum Ducum & Heroum successorem, qui vt ab Atauis*

& Proa-

& Proauis, ante tot ætates in Illustri sua Prosapia Stemmata clara recepit, exempla vetustissima admiratus est, virtutis ac probitatis immortalem famam apprehendit, honoris ac dignitatis incrementa Toga Sagoque conspexit, ita & ipse enutritus lacte fortissimorum Parentum, educatus in domicillio virtutum ac probitatis, dedicatus Patriæ & Reipub: defendendæ, omnes suos conatus, studium, vires, animum, fortunas, vitam denique ipsam eo contulit, vt more MAIORVM *suorum, quibus nil fuit dulcius quàm pro Patriæ aris & focis fortiter dimicare omnesq; impetus hostiles strenuè propulsare, & ipse accenso ad honoris & gloriæ coronam animo Athlanticis humeris Rempub: Polonam, eiusq; æmolumenta fulciret, foueret, firmaret: Quamprimum enim animum Musis sacratum à scholasticis lucubrationibus, (vbi prima iecit fundamenta amoris & studij erga Patriam) abduceret, eum cum summo feruore*

re

re Marti deuouit, vt ingruente tempestate fluctuantibus procellis resisteret, secundis autẽ ventis Patriã exornaret; testantur hoc inprimis laboriosissimæ Moschouiticæ expeditiones, quibus prima tyrocinnia studij militaris dedicauit, vbi adolescentuline an viri in adolescentia res gestas miraberis? Non fuit graue nec molestũ in deliciis educato, asperiorem fortunam sequi, omnibusq; inclementiis cæli sese exponere, non ventus non imber, non æstus, non frigus, non fames, non sitis, non denique acutissima hostis feroci entis spicula, non gladius hostilis aut tonantia tormenta, ingenti flamma horrida, terruerunt; ruebat in aduersum animosissimus contemptor non minus hostis quam vitæ propriæ, nec quenquam sibi præripere palmam permisit, siue in excubiis agendis, siue in aggrediendo hoste, siue in expugnandiis mæniis Arcium opulentissimarum, ac Ciuitatum munitissimarum, fremebat strepitus armorum in congressu, personabant

aures

aures clangore tubarum & tympanorum, attrectabantur vngulis equorum tot cadauera humi prostrata, increbruerunt circa caput fragmenta hastarum, volitabant sulfurei globi per medias Acies, dulce fuit hoc spectaculum animosissimo Adolescentulo, dulcior & ipse campus ludi Martialis in quo vt licuit ita libuit experiri artem lusoriam, ducere militares choros, agere numerosissima agmina, trudere ornatissimas cohortes, vibrare gladium, mouere agilem dexteram, fundere hostilem sanguinem, nec deserere cruenta prata, nisi sitibunda cruore repleret, victricemque corollam triumphatori Regi afferret; non secus ac ille quondam fælix nominatus Octauius Augustus cui propter singularem industriam quadriennalis Toga militaris Romæ oblata fuit. Talis erat prima depositio tyrocinij militaris Ill^{mi} IANVSSII TYSKIEVICII, *talis feruor defendendæ & propagandæ Patriæ, quem in dies & horas ac-*

 cende-

cendebat; maioresq́; occasiones præstolabatur bene merendi de re militari, Repub: & Regno; vsq; tandem reuersus ad Patrium solum, terribiles Tartarorum turmas, turbam ferocissimorum hominum indomitam, deprædatores vitæ fortunarumq́; vniuersæ Gentis Polonæ, sors detulit, exercitiumque militare pro diuersitate personarum diuersum à priori indixit, vt variis instructionibus aptaret animum militantis pro defensione Patriæ, hostiumque profligatione; aggreditur & hoc intrepidus nec saltim ignitos ictus excipit, sed & sagittas acutas, lanceas rostratas, cæstus ponderosos, variaq́; pro more gentis barbaræ armorum genera, vbi equorumnè an hominum impetus ferocientes admirare liceat? non facile occurrit, satius equum pernicem scandere, inuasoribus sese opponere, per Campos Martios decurrere, insultus reprimere, Acies hostiles igne & ferro impetere, fugare, nec à ceptis desistere, nisi liceat & profugos

per-

perſequi. Succeſſit fœliciter negotium nec quidquam interceſſit quod ſalutares conatus diſrumperet, progreditur igitur ad maiora nec vllam deſerit occaſionem. Occurrit poſt Expeditio generalis in præſentia Supremi Exercituum Ducis, magnaq; Senatorum Magnatum & Militum frequentia ad campum Orininenſem, quo innumerabilis, nec oculis comprehenſibilis grex barbara ac Tyrannica ferarum more confluit, horridumque ſpectaculum oculis omnium inducit, pharetras aptat, arcus ſubleuat, ſagittas acuit, gladios euaginat, Exercitum inuadit, Acies confundit; Quis ſicut hic? alacrius progreditur, velocius accurrit, animoſius inſtat, fortius contendit, nec paleſtram deſerit, niſi hoſtis atrox conatus ſuos reuocaret ſuasq; procederet vias. Subſequitur deinde ſequenti Anno, eiuſdem efferæ gentis crudelis machinatio, ac fere vniuerſalis Tartarorum collectio permixta Othomanicis legionibus; locus aſſignatur in

 cam-

*campis Cecorienſibus, ſigna dantur præuia, claſſicum canit hoſtis, nec recedere autumat, niſi ſaciata crudelitate ac libidine; committitur negotium tanquam arduum Generali Exercituum Duci, ſimulque & campiductori, conuocantur numeroſæ acies Magnatum & lectiſſimorum militum, tractatur de reprimendo impetu hoſtium, eiusq; ſi Deus & fortuna conceſſerit ſubiugatione, progrediuntur ad campos Cecorienſes locum ſui prælij aſſignatum, ante omnes emicat Ill^mus^* IANVSSIVS TISKIEVICIVS *ſtipatus magna ſuorum ære proprio conductorum Militum caterua, frontem Exercitus petit, dumque iam hoſtis appropinquaret Caſtris, & iam per legem militiæ manus ſoluuntur ad conferendum cum hoſte, euolat ante alios, offert ſe alacriter hoſti, proponit cruentum duellum, euocat criſtatos Soltanos, decurrit circum Agmina obuia, minatur forti dextera, Arma armis prouocat, iamque appropinquante æmulo,*

for-

fortiter decertat, pulſat tyaras, deponit capita, diſrumpit ceruices, dilacerat pectora, tandem variis ac creberrimis ictibus defatigatus, redit ouans ad Patria Castra, fælix auſpicium afferens Duci ſuo; durauit per aliquot dies hæc Martis non ingrata lucubratio, cui iucundum fuit ſeſe immiſcere, nec vllam occaſionem deſerere, vſque dum Generalis congreſſus totius Exercitus cum hoste intimaretur, quem dum non inuito conatu proſequuntur omnes, fortiq́ concuſſo pectore miſcent arma & dextras, perfundunt copioſum ſanguinem, ſternunt cadaueribus prata, iamque fere victrices triumphare incipiunt, ecce aduerſa fortuna iecit tella in contrarium, confunditque vt conſilia ita & arma, inprimis enim cohortes Valachicæ in ſubſidium aduerſus Tartaros coniuratæ, nutant, quoſque perſequi ſtatuerunt, eos auxiliis fulciunt, perfidiæ ſuæ morem gerentes, omnemque ſuam rabiem cum ferociente hoste in Acies Regias effundunt.

 Oriun-

*Oriuntur post dissenssiones inter Militem in Castris ita vt omnes in confusionem eant, eluduntur Duces à milite, contemnitur disciplina Militaris, vnusquisque spolium non victoriam quærit, plerique fugam proponunt, non Dominus à seruo tutus, non Dux à Milite; Sic Deus Ter Optimus Maximus vltor ac vindex omnis iniustitiæ, vt posteritati insolentiæ militaris exemplar detestabile relinqueret, horrendoque supplicio scelestos (puniret, ne amplius quod nunquam fuit, tale crimen in Castris renascatur,) accendit feruorem in cordibus hostium, animosq; feroces inflammauit ad opprimendum & delendum Exercitum Regni Poloniæ, vbi & ipse Dux Exercituum Zolkieuius (sæpius enim & insontes cum peccatoribus Deus punit) in medio armorum strepitu fortiter occubuit, & Campiductor cum plerisq; Magnatum, hostium manibus traditur, cum quibus proximus Ducum Ill*mus *IANVSSIVS TI-*

SKIE-

SKIEVICIVS *belli cladisq́; socius cui dulce fuit pro Patria non solum dimicare, sed & vincula pati, vt assuesceret omnibus fortunæ aduersitatibus in defendenda Repub: maiorique gloria pro meritis accumularetur, nec satis fuit tunc perdere sumptuosissimos apparatus bellicos ipsumque militem magno ære conductum tum & vitam tradere in discrimen hosti, quin etiam & magnam opum vim consumere, tractando de radimenda vita & reditu in dulce solum Patriæ; dumque iam concluderetur de præcio; offeruntur tot auri talenta, moniliaque prætiosa, non tam amore viuendi quam studio defendendæ & promouendæ Reipub. fortunauit Deus salutare propositum, quod enim aliis ne cogitare quidem concessum, aliis vix ad possibilitatem redactum, hoc Ill^mus Heros fælici ac facili conatu obtinuit, redit igitur lætus ad Patrios Lares, primũq́; verè Christiani hominis officium exoluit, Phana adit, sacrificia Deo offert, vota reddit,*

dit, nec vnquam se recessurum à fide Catholica, eiusque vigilanti custodia promittit. Vix licuit Patria lustrare tecta dareque dulces amplexus expectantibus amicis ac consanguineis, ecce iterum exoritur turbo, insurgunt tempestates toti Regno inimicæ, intimatur cruentum negotium non iam cum effera grege Tartarorum, sed cum vniuersa Othomanica gente, ipsoque protunc Imperatore Osmano, qui proposuit & firmiter constituit vastissimum Poloniæ Regnum, igne & ferro absumere, templa profanare, sacrificos enecare, omnes omnium Prouinciarum Regni homines potestati suæ subiugare, nec amplius in suum reuerti Imperium nisi satisfecerit suo desiderio; vbi simul conuocat vndiquaque præsidia, congregat Acies instructissimas tot centena millia Equitum peditumque, tot machinas bellicas, tot Camellos oneratos, tot Elephantes horridos, iamque pedem mouet ad confines oras versus Chocimum, certamq; spem

con-

concipit, se non armis sed terrore expugnaturum intrepidas classes Polonorum, cum ecce Deus Ter Optimus, miseratus ab alto cladis præteritæ, tanquam supremus Protector Ecclesiæ suæ suorumque ministrorum, erigit animos Gentis Polonæ, accendit feruorem, ordinat consilia, disperdit metus, congregat copias, ita vt exiguo tempore, numerosa bellicosissimorum hominum caterua, cum omni apparatu bellico conuolauerit, Ducibusq́ suis, ad id negotium expediendum ordinatis, fidelitatem, obedientiam, & vsque ad extremum vitæ perseuerantiam iurauerit; Procedunt Dei auxilio implorato animosissimi Duces, cum suo Exercitu, Præside fortissimo Carolo Chodkieuicio, Locum tenente Illustrissimo Stanislao Lubomierski, cumquibus à latere Illustrissimus IANVSSIVS TISKIEVICIVS, *Comes laboris & consilij, Castra locant, Acies ordinant, tormenta bellica disponunt, iamque hoste appropinquante, prænuncios*

 salu-

ſalutis aptant, hinc Vulcanos fulmina iacientes, illic Mezentios haſtatos & galeatos, quorum primas Illuſtriſſimus TISKIEVICIVS occupat, primusq; ſuam cruentam ſcenam expedire contendit, nec ſic deſiſtunt varijs concertationibus ludere cum hoſte, vſque diurnis nocturnisq; vigiliis defatigatus, amiſſis tot Exercitus ſui cohortibus, ſpe quam firmiſſimè conceperat fruſtratus, poſtpoſito deſiderio regnandi legeſque condendi Polonis, faſtu ſuperbo demiſſo, inſtituit tractare de pace, deputauitq; ſuos internuncios, quorum fidei commiſit negotium pacis inſtituendæ in perpetuum, cum omnimoda obligatione Poſteritatis ſuæ; Ceſſarunt Arma, ſucceſſit Pax, omnibus deſideratiſſima, Pax illa, quam vix vllus ſperare potuit, conſiderans, vires apparatus copias, potentias Turcicas, quibus haud poſſibile fuit reſiſtere, niſi Deus Ter Optimus rem geſſiſſet pro ſuis, ipſeq; ſuperbis reſtitiſſet Machmetanis, cui ſoli ſit laus & gloria

per

per omne sæculum. Iamq; concordes redeunt, ad Patrios focos Deo eiusque sanctis Cælitibus vota reddituri, vbi deuicto hoste immanissimo pollicentur sibi aurea sæcula pacis & tranquilitatis, & sane iure merito, quod enim caret alterna requie durabile non est, iam satis laboris ac doloris insumptum est, expedit quiescere & vires collapsas resumere; Expediret sane quiescere nisi insolentia nostra impediret, quæ tempore pacis sæuire consueuit, Prospiciens itaque summus Speculator frænandæ malignitati hominum licentiosorum, ne virus illorum more Scorpionum in ipsosmet serpat, permittit Gustauum Adolphum Principem Sudermanicum grassari, nec saltem Liuoniã, eiusq; munitissimas ac opulentissimas Ciuitates apprehendere, sed & florentissimum quondam Prussiæ Ducatum, inuadere, deprædari, possidere, ad cuius furorem reprimendũ, dum parantur copiæ, conuocantur præsidia, ecce iterum Tarta-

rorum fera colluuies inuadendo fines Ducatus Russiæ, distrahit vires, iubetque parare arma, & quos iam durum necessitatis tellum trahebat in reprimendam Gustauianam libidinem, hos barbara crudelitas Tartarorum reuocauit, iussitque Patrios Pœnnates defendere; inter alias committitur negotium & Illustrissimo TISKIEVICIO, cuius dexteritas omnibus satis probata, & ipso hosti formidabilis; nec sine lucro locatur spes in virtute fortissimi Herois; quam primum enim Inuasores furibundi flammas & tella iniecerunt in tecta Polona vbi iam transgressi sunt limites suos, & debachari ceperunt per Prouincias Regni, furit & ille in hostem, vnaque cum aliis deductis copiis propriis occurrit Inuasoribus, prædam lucratur, confundit agmina, ictus spargit, sanguinem fundit, pænas scelestis infligit, ipsiq; Cantimiro iuniori, filio supremi Ductoris, Exercitus hostilis, & præfecto certarum legionum, capite auulso, fælix de hoste

ste triumphat ac Serenissimo Regi Victori & Triumphatori fortunatissimo defert, conclud itque in perpetuum terrorem in animis hostium, ne vnquam præsumant ausus suos crudeles promouere in Regnum eiusq; ditiones. Per tot talesque gradus decurrit virtus Illustrissimi IANVSSII TISKIEVICII ad apicem honoris & dignitatis, antequam insigniretur laurea triumphali, & Toga pacis ac consilij, nimirum Generali Palatinatu Kijouiensi; O vtinam tales producat filios Mater Polonia, talibusq; imbuat moribus omnes. Pro meritis tuis Illustrissime TISKIEVICZ non Laureum sed Aureum diadema Capiti tuo imponit tibi Patria tua, inscribitq; titulum FAVSTI OMINIS adamanteis literis. Tu es quem expectarunt sæcula longa, verum Reipub. Amatorem, zelozum Religionis defensorem, clementem oppressorum liberatorem, prudentem Senatorem, fortem hostium expugnatorem, vigilantem pacis conser-

conseruatorem, fæcundum iustitiæ propagatorem; Tu superbum Turcam humiliabis, furibundum Gætam frenabis, licentiosos Cosacos domabis, crudelem Moschum subiugabis, audacem Gustauum fugabis, oppressam Liuoniam *& Prussiam liberabis, pacem & tranquilitatem in vniuerso Regno conseruabis, ac tandem immortalitatis Coronam possidebis; Ergo fælix vale & diu viue Regno, Ecclesiæ Reipublicæ, Amicis, omnibusq; Regnicolis.*



alteri

